

sum esse  
Dei supra  
eventus om-  
nes contin-  
gentes domi-  
nium.

præmissum determinat, non esset assignabile ullum Dei supra universos eventus contingentes verum dominium. Quandoquidem Deus illos voluntate sua non præveniret, aut non nisi fallibiliter præveniret; siquidem non futuros propter vim hujus præventionis, sed propter vim contradictionis, de qua dictum est. Quo pacto accideret Deum creaturis liberis, quibus præsertim cum deceat dominari, nullo vero præesse dominio, siquidem non ad Divinam, sed ad propriam voluntatem operaturis, & operantibus quidquid ipsas operari & operaturas esse contingit, juxta illam futurorum contingentium veritatem, quæ antecederet ad omnem voluntatem Divinam determinata, & ideo inimpedibiliter complenda esse affirmatur.

LXXX.  
Et nihilominus Sacre  
Paginae ubique astant  
illud domi-  
nium.

Quod si ita est, quid veritatis est in hoc, quod scriptum est, *Dominus universorum tu es*: & alibi, Psal. 144. 13. *Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem*; & iterum, Paral. 29. 12. *Tue divitiæ & tua est gloria: tu dominaris omnium: in manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo & imperium omnium*: ut alia id genus taceantur loca, quæ in singulis Sacre Scripturæ paginis repetita legere est. Atque ita falsum comprobatur, quod secundo probare supra tentavimus de veritate alterius propositionis è duabus de futuro contingenti contradictoriis determinata independenter ab omni decreto Divino.

LXXXI.  
Ostenditur  
quod non  
obstante vi  
prædictæ  
contradictio-  
riæ eventus  
contingentes  
magis pen-  
dent à vo-  
luntate Di-  
vina, quam  
à nostra.

Respondeo & nego sequelam majoris, pro cujus probatione solvenda nego vim contradictoriam, propter quam dicimus alteram è duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingenti esse determinatè veram, quicquam ob stare, quin effectus omnes contingentes longè adhuc magis à voluntate Divina, quam à nostra dependant. Uti rursus nego posse ullum hujusmodi effectum contra Divinam voluntatem aliquando contingere, licet futuritionis omnium veritas sit determinata propter vim prædictam contradictoriam. Ratio negandi est; quia cum aliquis effectus contingens dicitur à nobis determinatè futurus propter vim contradictoriam, quæ impedit futuritionem alterius erga istum contradictoriam, dicitur utique futurus, qualiter futurus est, scilicet per libertatem voluntati à Deo concessam, & à Deo adjutam, sicque institutam omnibus ad agendum, aut non agendum prærequisitis: futurus iterum dicitur qualiter & futurus à Deo prævidetur: prævidetur autem sic futurus, si nempe libertas voluntati data fuerit, & in hunc atque illum modum adjuta.